Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35395
Copyright: Innsbruck, Prämonstratenser-Chorherrenstift Wilten



prima

sine licentia exire non licet. Quando Abbas per chorum transit, inclinet
ei omnes ante quos transit. Cum vero chorum intrat per ostium quod est
inter sedem suam et sedem prioris, fratres qui viciniores sunt
in utroque choro ei inclinent et quociens aliquis ante eum transie-
rit, similiter ei inclinet. Qui legunt ad matutinas dicto Iu-
be domne. Inclinent se ad benedicendum et postquam legerint veniam
pro tempore in medio choro petant. Similiter qui cantaverint in
ipso loco quo cantaverunt. Cui autem imponitur, inclinet imponenti.
Et post primum versum prius versus altare inclinet. Finitis matu-
tinis eo ordine quo venerunt, revertantur ad lectos, et usque ad sig-
num prime pausent. De prima et missis post primam .iij.

Providendum est ut pro varietate temporum prima sic
pulsetur, ne fratres tardius quam debent surgant ad o-
rationes que prima diei hora deo persolvende sunt. Dato itaque
signo ad primam surgant fratres et intrent ecclesiam eo ordine
quo ad matutinas est dictum. Et antequam hora incipiatur dato
signo a priore, dicant pater noster inclini pro tempore vel prostrati et ad
signum prioris erecti se signent. Quod debet fieri ad omnes horas
diei. Qui ad primum psalmum non occurrerit, satisfaciat stans
ad gradus presbiterii donec signum fiat a priore et tunc ad locum suum
redeat. Idem observandum est ad omnes horas diei. Ad psalmum